

4/95

KALENDIS NOVEMBRIBUS
MCMXCV

VARIVS
ROR VARIVS I
VMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
ROR VARIVS
A D T V C

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen aeschlimann publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

| | | |
|-----------------------------|------|--------|
| In Helvetia | sFr. | 24.-- |
| In Germania | DM | 39.-- |
| In Austria | öS | 276.-- |
| In ceteris Europae terris | sFr. | 36.-- |
| In terris trans maria sitis | US\$ | 29.-- |

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:
Copy Quick, Solothurn

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

| | | |
|----------------|------|--------|
| Schweiz | sFr. | 24.-- |
| Deutschland | DM | 39.-- |
| Österreich | öS | 276.-- |
| Übriges Europa | sFr. | 36.-- |
| Übersee | US\$ | 29.-- |

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Nuper in taberna libraria circumspiciens inter alios libros libellum inveni fabulas omnium fere nationum continentem. Quorum duo vobis narrare velim, quae de natura, bestiis hominibusque agunt et propterea ad argumentum nostrum, quod in fasciculo priore RUMORIS VARIII proposuimus, aptissimae mihi videntur.

Alterae fabulae originis Brasiliensis est titulus: 'De alligatore et mulieribus pugnacibus'.

Mulieres vici alicuius certo tempore ad lacum ire solebant, ubi alligator magnus vivebat. Ibi casas sibi construxerant, in quibus vasa coquinaria et ollas deposuerant. Cum eo ibant, ornamenta pennarum et pulchra cingula secum ferebant, praeterea muscum ad corpora perungenda.

Una ex mulieribus armata est omnibus his ornamentis, et cutis eius musco oblita est. Quae ad ripam sedebat, dum ceterae in silva bacas et poma colligunt. Aliae piscabantur vel cibos parabant.

Ubi ceterae abierunt, mulier festive ornata clamavit: "Alligator, veni, pisces apporta!" Alligator respondit: "Venio." Tum prodiit piscium fascem ferens. Deinde caput in femore mulieris posuit, et illa parasitos investigans ab eo legit, et alligator obdormivit.

Ceterae mulieres interea cenam paraverunt et die festo finito domum reverterunt viris cutes pomorum bacarumque tantum apportantes. Mulier ornata cum alligatore relicta est et postea ceteras secuta est.

Tandem viri mirati sunt, quod mulieres cutes bacarum tantum ferentes revertentur, et decreverunt hanc rem investigare. Unus eorum filium iussit matrem comitari. Postquam diu negatum est, postremo admissus est et tum viris narravit, quae vidisset.

Duobus diebus post viri ipsi ad lacum ierunt, dum mulieres

domi manere debent. Illi quoque musco corpora perunxerunt et alligatorem advocaverunt. Ille venit, ut solebat, pisces apportavit et ad dormiendum procubuit. Sed viri eum clava necaverunt in in silvam proiecerunt. Tum viri venati sunt, alios alligatores, ardeas, anates vulturesque cadaverinos interfecerunt. Praedam secum ferentes in vicum reverterunt et illudentes mulieribus acclamaverunt: "Nos decepistis; nunc carnem vulturum cadaverinorum edatis!"

Postridie mulieres denuo profectae sunt. Sed alligator non apparuit. Tandem cadaver eius in silva invenerunt. Maxime iratae mulieres domum properaverunt, sagittas arcusque sibi comparaverunt et viros ad pugnam evocaverunt. Viri rem non gravem duxerunt et sagittas inversas in arcibus posuerunt, ne nocerent. Mulieres autem sagittas acutas miserunt et viros paucis, qui effugerunt, exceptis necaverunt. Deinde mulieres praeter fluvium abierunt neque umquam postea visae sunt, neque aliquid de eis auditum est. Donec alligator vixerat, omnes alligatores loquebantur. Ex illo tempore autem non iam loquuntur.

Altera fabula ex Africa ad nos venit, in Congo traditur. Ei titulus 'De primis plantis' est.

In principio longa et calva planities erat, sine fruticibus, sine herbis, sine arboribus. Et bestiae flebant. Antilopae flebant, psittaci flebant, leopardi flebant - omnes flebant, quod nihil erat, quo se abscondere poterant. Erat autem vetula oculis lippis et male redolentibus. Quae dixit: "Libenter vos servabo, si vos omnes alius post alium oculos mihi lambere et ita me sanare vultis."

Bestiae responderunt libenter se id facturas esse. Tum antilopae venerunt, ut oculos vetulae lamberent; psittaci et leopardi venerunt, et ita omnes bestiae venerunt, donec vetula sanata esset. Deinde vetula saccum seminibus milii completum deprompsit et ea super terram effudit. Et saccum fabis et seminibus variarum fruticum, herbarum, arborum completum deprompsit. Et ita omnia e terra nata sunt: Herbae, frutices arboresque; et omnis bestia loculum invenit, ut se absconderet. Ita omnes bestiae a vetula servatae sunt.

Spero vos, cari legentes, aestatem pulcherrimam egisse. Ne

obliti sitis, quaesumus, argumenti nostri, ut in libello proximo quam plurima opera a vobis composita divulgare possimus!

Valete!

D. Weissmann
Daniel Weissmann



Λανθάνω βλώσας

(Bene vixit, qui bene latuit)

Quaeris quid timeam? Timeo turbas furibundas,
quidlibet aut quemvis laudare subinde paratas,
immundum veteratorem plerumque sequentes;
mercantes metuo sua tantum lucra colentes,
qui saevas vincunt tigres feritate cruenta,
vectigal modo ne pendant nihili facientes
publica si crudo res carnifici moderanda
tradatur miseros cives prave crucianti;
perdidici iuvenum coetus odisse scelestos,
crinibus adrasis suetorum terrificare
nigricolor timidum genus urbis compita lustrans;
consimili ratione novas fugio meretrices,
pensi nil quibus est quin corpus flore iuventae
substernant splendens turpi blandoque sequestri,
per quem se fieri subito sperent opulentas,
una quibus potior vestis vel gemma videtur
- heu pudet ista loqui! - prisco candore pudoris.
Fastidit rixas animus sermonis amator
prudenter placidi crebras utcumque coortas;
suasores odii civilis si exsecror atros,
num quis mente sua validus nunc me reprehendat?

Discipulos asinis similes qui frena recusant
 damnificos fore si reputo, num fallor inepte?
 Omnia quandoquidem procedere tam male constat,
 unum miraris cur mi hoc placeat, latitare?
 Dis grates refero, quod perfugio tegor imo,
 quod vulgi nequii furor hactenus expugnare.

Orestes Carbonero



Aenigma

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| 2 | | | | |
| 3 | | | | |
| 4 | | | | |
| 5 | | | | |

1. Res Romani eversiones
rei publicae nominabant
2. Fructūs poetarum vel artifi-
cum
3. Ad nos se confert
4. Aqua carentes (Nom.pl.m.)
5. Qui non plus cupit,
habet

Daniel Weissmann



MORTES

Arturo Benedetti Michelangeli

Die 12^o mensis Iunii anno 1995^o Arturus Benedictus Michel-
 angelus (Arturo Benedetti Michelangeli), ille celeberrimus
 clavicen (1) Italicus, unus ex illustrissimis suae artis



ingeniis non solum nostrae
 aetatis, sed etiam omnium sae-
 culorum, Lucani (Lugano) in
 urbe Helvetica 75 annos natus
 animam efflavit.

Unica eius ars clavicinandi
 (2) erat, unicum etiam inge-
 nium et mores illius musici
 erant. Animae maxime sensi-
 bilis erat, perpetuo studio
 summae perfectionis incitatus,
 nonnumquam dubio vexatus, num
 ea, quae sibi in operibus mu-
 siccis canendis proposuerat,
 assequeretur. Summas res a se
 ipso, ab instrumentis musicis,
 a condicionibus concentuum mu-
 sicorum (3), nonnumquam ab au-
 dientibus quoque exigebat. In-
 terdum accidit, ut ultimis ho-
 ris vel minutis concentum mu-
 sicum renuntiavit, sive se ip-
 sum ad clavicinandum non para-
 tum sensit, sive aliquid in
 clavili (4) vel in odeo (5) ei
 displicuit. Plerumque audien-
 tes maxima exspectatione in
 odeo sedentes non prius certo

sciebant, num Michelangelus prodiret an non, quam eum re
 vera in scaenum prodeuntem aspiciebant.

In concentibus musicis plerumque proprium suum clavile
 secum ducebat. Difficillima erat opera temperaturarum sonorum
 (6) valde sudantium, dum Michelangelus tandem temperatura
 contentus esset, non faciliorem operam moderatorum musico-
 rum (7) cum eo concentus musicos edentium fuisse ferunt.

Arturi Benedicti Michelangeli clavicinium arte perfecta, subtili impulsu sonos edendi (8), colore sonorum miro et vario, unica claritate excellerebat. Non artificium inane neque sollertia vana Michelangelo cordi erant. Opera tantum compositorum indagare et cognoscere et eis servire cupiebat. Summa diligentia partituris studebat. Saepe iterum iterumque eisdem operibus incumberebat et eorum exhibitionem (9) ad summam perfectionem perducere operam dabat. Nonnumquam multos annos operibus eisdem studebat, quoad ea tandem coram publico caneret vel phonodiscis imprimeret (10). Itaque non innumerabilibus operibus se dedit, sed quendam ordinem et delectum habuit:

Inter ea Claudii (Claude) Debussy et Mauritii (Maurice) Ravel impressionistarum opera erant, quae Michelangelus unica claritate lucida et coloribus sonorum subtilibus cecinit; nonnullae sonatae Ludovici van Beethoven (sed neque 'Apassionata' neque 'Pathetica' nominatae); compositorum Italicorum opera velut Domenici Scarlatti, Mutii (Muzio) Clementi, Baldassari Galuppi; Wolfgangi Amadei Mozart et Iosephi Haydn; Francisci Schubert, Roberti Schumann, Johannis Brahms, Francisci Liszt, Friderici (Frédéric) Chopin, Sergii (Sergei) Rachmaninov; praeterea Isaaci Albéniz et Friderici (Federico) Mompou, compositorum Hispanorum.

Michelangelus a turba maxime abhorrebat. Celebratus et maxima admiratione hominum affectus tamen distantiam inter se et audientes admiratoresque servabat. Se a publico subtrahebat et vitam solitariam in consociatione musicae degebat. Aura mysterii quaedam eum circumflabat. Et applausibus vehementissimis circumdatus et solus erat, et eccentricus et animae violabilis. Tamen, quasi animi refectiones a summa intentione, delectationes nostri mundi vel pedifolium vel autoraedae celeres atque cenae bonae ei placebant.

Arturus Benedictus Michelangelus die 5^o mensis Ianuarii anno 1920^o Brixiae (Brescia) in urbe Italiae natus est.

A pueris clavili, organo, violinae artique musicam componendi studere coepit. Decem annos natus Mediolani (Milano) in schola musica (quae 'conservatorium' in toto fere mundo appellatur) studia iniit et tres annos a Iosepho (Giuseppe) Anfossi eruditus est.

Anno 1939^o Genavae (Genf/Genève) in Helvetia a certamine clavilis victor triumphaliter discessit concentum clavilis modo maiore Es (11) a Francisco Liszt compositum exhibens. Praeclarus factus dehinc concentus musicos in Germania, in America Meridiana, in Africa Meridiana, in Iaponia edidit.

Anno 1948^o in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis (USA) prodiit.

Anno 1949^o circiter propter morbum gravem decem fere annos a publico se recepit. Eo tempore in medicinae studiis versabatur vitam in monasterio Franciscano degens.

Ab anno 1959^o iterum concentus musicos edere coepit. Quinque annos post in Foederatas Civitates Socialisticas Sovieticas (UdSSR), Foederatas Civitates Americae Septentrionalis (USA) Iaponiamque iter factus est.

Michelangelus paedagogus quoque fuit: Mauritium (Maurizio) Pollini et Martham Argerich, sed alios quoque iuvenes clavicines in domo sua - saepe sine mercede - vel in institutionibus magistri (12) Bauzani (Bozen), Arretii (Arezzo), Senae (Siena) Lucanique (Lugano) instruebat. Anno 1964^o Brixiae in patria sollemne ludicrum (13) internationale musicae clavilis instituit.

Ultimis annis Michelangelus nondum in publicum prodiit, sed solitarius apud urbem Ticinensem Lucanum vitam agebat.

Nunc ille vir unicus nos reliquit. Quibus fortuna contigit, ut Arturum Benedictum Michelangelum in concentu musico audirent, illius eventus magni numquam obliviscentur. Pluries eum ipse audivi, et adhuc illos concentus memoria teneo: In scaeno apparens Michelangelus lento gradu ad clavile gressus est, quasi ei non valde placeret ante tot homines sibi canendum esse; homines in oedeo vix animadvertere visus est, consedit, dum inter auditores silentium maximum est. Concentu mirabili finito et audientibus furibundis applaudentibus Michelangelus surrexit et caput paululum inclinavit, vultu immoto, vix umquam umbram risus lenis cerni potuit, sive applausibus vehementissimis et vocibus 'euge, euge!' clamantibus non valde motus est, sive sensus suos non aperuit.

Memoria autem eorum, qui eum adiverunt et viderunt, et phonodiscis, quorum nonnulli e taeniolis sonantibus (14) in concentibus impressis facti sunt, apud cunctos musicam

amantes vivet et ita immortalitatis particeps erit Arturus
Benedictus Michelangelus.

Daniel Weissmann

VOCABULARIUM:

| | |
|-------------------------------|---|
| 1 clavicen,-inis | Pianist/pianiste/pianista/pianist |
| 2 clavicinare | Klavier spielen/jouer du piano/so- nare il pianoforte/tocar el piano/ play the piano |
| 3 concentus musicus | Konzert/concert/concerto/concierto/ concert |
| 4 clavile,-is n | Klavier/piano/pianoforte/piano |
| 5 odeum,-i | Konzertsaal/ salle de concert/sala dei concerti/auditorio/concert hall |
| 6 temperator sonorum | Klavierstimmer/accordeur de pianos/ accordatore di pianoforti/afinador de pianos/piano tuner |
| 7 moderator musicorum | Dirigent/chef d'orchestre/direttore d'orchestra/ director de orquesta/ conductor |
| 8 impulsus sonos edendi | Anschlag/ toucher/ tocco/pulsación/ touch |
| 9 exhibitio,-onis | Ausführung/réalisation/realizzazio- ne/realización/realization |
| 10 phonodiscis impri- mere | Schallplatten aufnehmen/enregistrer sur disques/incidere su dischi/gra- bar en discos/make recordings |
| 11 modus maior Es | Es-dur/mi bémol majeur/mi bemolle maggiore/mi bemol mayor/E flat major |
| 12 institutio magistri | Meisterkurs/ cours de maître/corso di maestro/curso de maestro/master course |
| 13 sollemne ludicrum | Festival/festival |
| 14 taeniola sonans | Tonband/ bande magnétique/ nastro magnetico/cinta/(recording) tape |




RES MIRAE INAUDITAE



De eventu Alfredi Hitchcock pelliculae titulo 'Aves' simili

Bestiarum amor duorum iuvenum Israelianorum in urbe Verni-
colli (Tel Aviv) spectaculum simile eventibus in pellicula
titulo 'Aves' ab Alfredo Hitchcock, illo celeberrimo dispo-
sitore cinematographico pellicularum criminalium Anglico
(1899-1980), composita effecit.

Iuvenis nomine Gal et eius amica Limor nominata die Veneris
sub vesperum in via 'Schalom-Alechem' ante domum numero 46
corvum iuvenem, qui saucius esse manifestus erat, invene-
runt. Misericordia moti avem in domicilium suum apportave-
runt, ne feles vagantes corvum parvum opprimerent. Ei
frusta panis lacte tincta praebere conati sunt, sed hoc
inceptum praeter spem evenit. Tum amicum volucrem in balneo
collocare constituerunt.



Vesperis Gal et Limor optimum esse factu existimaverunt
corvum in libertatem dimittere et ei facultatem avolandi
dederunt. Sed eius conatus avolandi in irritum ceciderunt,
et corvus postremo in aulam posticam domus decidens conse-
dit. Deinde spectaculum dignum Alfredo Hitchcock coepit,
qui ius auctorum merito sibi vindicare potuisset, si adhuc
viveret....

Nocte in diem Saturni (Sabbata) incolae et vicini domus
numero 46 primum corvorum clamorem iratum et semper cres-
centem animadverterunt.

Postridie, cum mulier mane domo exiit, subito corvus volatu
vehementi impetum saevum in eam fecit. Aegre mulier impetum
corvi effugere et iterum in domum confugiens se servare

SOLUTIONES

potuit. Paulo post, cum in via eadem puer corvum saevissime se agredientem propellere deberet, incolae et vicini




suscitati custodes publicos advocaverunt, qui paulo post autoraeda vigiliae publicae advenerunt.

Interea pluries duodecim aves nigris pennis in tectis vicinis et antennis televisificis sedentes in statione erant vel quasi vigiliis circumeuntes iterum iterumque circum domum numero 46, in qua socius eius 'in vinculis'

erat, volabant.

Tum Gal et Limor factum magno animo constituerunt: Corvum parvum, qui adhuc nondum volare potuit, in solarium tecti apportaverunt. Socii eius demisso volatu stridentes super iuvenes et corvum volaverunt et




sibilos minaces ediderunt.

Tandem corvos recognitione contentos esse apparuit: Paulatim locum proelii imparis reliquerunt. Duo tantum aves 'honoris causa' vigilantes apud socium parvum, qui nocte in diem solis (dominicum) quoque nondum avolare potuit, manebant.


Talis erat illius spectaculi finis tranquillus et sine horrore, alius ac in pellicula Alfredi Hitchcock. Denique incolae viae 'Schalom-Alechem' nihil nisi somnum sabbatorum paululum turbatum memoria tenebant.



Alfredus



Hitchcock



Daniel Weissmann

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

| primum praemium: | secundum praemium: | tertium praemium: |
|--|--|--|
| Dr. Peter Litwan Sevogelstr. 49 4052 Basel | Hans B. Bärlocher Teufenerstr. 116 9000 St. Gallen | Hermann Specker Turnweg 28 3013 Bern |

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

1. Nomen mulierum Hebraeum
2. Rex (pharao) Aegyptiorum (Acc.)
3. Populus Italus celeberrimus (Nom. Pl.)
4. Deus Aegyptiorum
5. Qui parvitate superari non possunt
6. manu = libertatem donavit


Daniel Weissmann

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | S | A | L | O | M | E |
| 2 | A | M | A | S | I | M |
| 3 | L | A | T | I | N | I |
| 4 | O | S | I | R | I | S |
| 5 | M | I | N | I | M | I |
| 6 | E | M | I | S | I | T |



Errata

| in Rumoris Varii fas- ciculo | in pagina | falso impressum est | forma recta imprimi de- buit |
|------------------------------------|-----------|------------------------|------------------------------------|
| 3/95 | 67, v.13 | potere | potero |



DE UNA VERITATE ET VARIIS EIUS NOMINIBUS

(Monachus Indus ante 100 fere annos parlamentum mundianum religionum stupefecit)

Primum parlamentum mundianum religionum die 11° mensis Septembris anno 1893° in urbe Americana nomine Chicago coepit. 7000 homines in magnam aulam artium convenerant, oratores in rostris sedebant: Catholici et Protestanti Christiani, Iudaei et Muslimi, Hinduistae, Buddhistae, Konfuziani, Shintoistae. Primum religiones Orientis aequa fere aestimatione ac Christianismus in publicum prodierunt. Tum unus vir imprimis omnium attentionem in se vertit: Swami Vivekananda, iuvenis monachus per mundum migrans e Bengala (Bengalen) veniens. Re vera non invitatus erat neque mandatum habebat. Itaque primum non admissus erat, sed postremo impedimentis superatis parlamento religionum interesse ei contigit.

Cum Vivekananda ad rostra iit, legati mandatis affecti Hinduismi indignantes capita concusserunt et fremuerunt existimantes istum vagabundum monachum civitati suae non magno honori esse. Sed erraverunt. Iam consalutatione

sincera comique 'sorores et fratres in America' Vivekananda auditorum gratiam consecutus est et deinde suum nuntium pronuntiavit: Una sola veritas est, sed varia nomina habet. Quaeque religio particeps est illius unius et unicae veritatis. Quaeque religio itaque reverenda est. Versa vice autem nulla religio affirmare potest se solam in veritatis possessione esse.

Audite nonnulla exempla ex orationibus, quas Vivekananda apud parlamentum mundianum religionum habuit:

(Die 11° mensis Septembris): "Maxime gaudeo, quod particeps sum religionis, quae homines mundi docuit tolerantia uti et alios se agnoscere alios. Non solum tolerantiam toto in mundo esse credimus, sed etiam quamque religionem quasi veritatem agnoscimus. Nonnullos carminis versus, qui a pueris me comitantur, vobis narrare velim: 'Ut varia flumina fontes suos variis in locis habent et aqua eorum tamen in mare confluit, ita cursus semitarum hominum varii quidem sunt, sed postremo ad te ducunt, Domine.' Hic coetus mundo illam displicinam miram demonstrat, quae in Bhagvada Gita continetur, ubi legimus: 'Quicumque ad me venit qualibet in forma, eum accipiam; homines in semitis laborant, quibus postremo omnes ad me ducuntur.'"

(Die 15° mensis Septembris): "Parvam fabulam vobis narrare velim: Ex multo tempore rana in puteo vivebat. Quo in puteo nata et educata erat, semper ibi manebat, vermes et insecta comedebat et paulatim rotunda et crassa fiebat. Aliqua die alia rana, quae in mari vivebat, in hunc puteum incidit. 'Unde venisti?' rana putealis interrogavit. 'E mari venio' alia rana respondit. Tum rana putealis: 'E mari? Qua magnitudine mare est? Estne tantum, quantum puteus meus?' Rana maritima: 'Amice', ait, 'quomodo mare cum puteo tuo parvo comparare potes?' Rana putealis ab altera parte puteoli ad alteram saluit et interrogavit: 'Taline magnitudine mare est?' Rana maritima: 'Quantae amentiae est, puteum tuum cum mari comparare!' Denique rana putealis: 'Desinamus. Sed nihil est, quod puteo meo maius est. Et quis alia dixit, mentitur. Apage te et hinc facesse!'

Ea ipsa difficultas nostra est. Hinduista sum. In puteo meo parvo sedeo existimans eum puteum totum mundum esse. Christiani in suo puteo sedent et eum totum mundum putant. Muslimi suum puteum totum mundum ducunt. Vobis hic in

America gratias ago, quod fines nostrorum mundorum parvorum et angustorum diruere studetis."

(Die 19° mensis Septembris): "Naturae rerum consilium est unitatem ex varietate efficere, et Hinduista eius consilii sibi conscius est. Ceterae religiones certis dogmatibus captae et implicitae societatem cogere volunt ea dogmata accipere. Hinduistae cognoverunt solum in relativo (in rebus cum aliis comparatis) absolutum inveniri posse. Religiones ad tempus et mutabiles sunt, a viris mulieribusque creatae variis temporibus et variis condicionibus. Omni in religione homines imaginem Dei fingunt. Sed principium omnium religionum idem et unus deus est. Quibus de causis tot discrepantiae religionum sunt? 'Opinatae tantum discrepantiae sunt', Hinduista respondit. Omnes insitae sunt eidem veritati, quae condicionibus variis formis variis induitur. Lux est idem, sed vitreis quadraturis, per quas lucet, varii colores sunt.

Si umquam universalis religio erit, tum illa neque tempore neque spatio terminari poterit, infinita erit ut deus, quem pronuntiat. Religio erit, cuius sol et Krishnae sectatoribus et Christianis, et sanctis et peccatoribus lucebit. Quae religio non Brahmanica, non Buddhistica, non Christiana, non Muslima erit, sed summa omnium. Spatium ei infinitum erit ad progrediendum. Insectationibus et intolerantiae locus non erit. Divinum in omni muliere et omni viro insitum agnoscet."

(Die 27° mensis Septembris): "Multa de religionum unitate et de principio communi locuti sumus. Si quis sperat eam unitatem victoria unius religionis de omnibus ceteris effici posse, errat. Num Christianus Hinduista fiat? Deus prohibeat. Num Hinduista vel Buddhista Christianus fiat? Deus prohibeat.

Num semen, quod satum est et terra, aere, aqua circumdatur, ipsum terra, aer, aquae fit? Nequaquam. Planta fiet, legibus sui proprii incrementi crescet. Terram, aerem, aquam recipit et in substantiam (naturam) plantarum mutat et ita paulatim planta fiet.

Idem de religionibus quoque fit. Non oportet Christianum se in Hinduistam vel Buddhista convertere, non oportet Hinduistam vel Buddhista in Christianum se convertere.

Quisque mentem aliorum accipiat, neque vero suum proprium amittat neque desinat suis legibus crescere.

Si quid hoc parlamentum religionum mundi monstravit, id est: Pietas, probitas, dignitas, misericordia non sunt in possessione unius solius ecclesiae. Omnes fides religionesque mulieres virosque egregios procreaverunt. Etiam si multa obstant, vexillis omnium religionum mox inscriptum erit: 'Non pugna, sed auxilium mutuum; non exitium, sed permutatio sententiarum cogitationumque mutua; non controversia, sed harmonia et pax.'"

Tota in America ea dicta Vivekanandae admirationem hominum moverunt. Ille monachus e Bengala actis diurnariis celebratus est. 'Praeco Neoëboracensis' (New York Herald) scripsit: "Vivekananda sine dubio maximus homo in parlamento religionum est. Qui eius verba audiunt, sentiunt, quantae dementiae sit, missionarios in terram tam cultam mittere." Vivekananda ipse ob eum exitum bonum sollicitudine affectus est. Sentit se vitam solitariam monachi migrantis agere non iam posse. Praeterea vita luxuriosa, quam hospitibus Americanis adiuvantibus degere poterat, tristem eum reddidit. Nam non oblitus est populi sui in India esurientis. Itaque iter faciens per Americam orationes de inopia illarum terrarum habuit. Quibus orationibus magno ardore cultum occidentalem, qui culpae particeps esset miseriae in terris velut India, aggressus est et accusavit. Christianis simulationem crimini dabat dicens illos suam religionem luxuriae nomine praedicare; Iesum apud eos ne lapidem quidem ad caput deponendum inventurum fuisse, si veniret. Vivekananda flagitium aestimabat missionarios christianos Indis religionem apportare pro pane esurientibus.

Permutatio mutua Vivekanandae ante oculos observabatur: Occidens Orienti auxilium materiale praeberet, Oriens contra Occidenti scientias mentis donaret.

Digna audiendo et animo cogitando illa dicta etiam nostra aetate, quae ab illis condicionibus optimis maxime disiuncta videtur, puto.


Daniel Weissmann




Facete lepideque dicta



"Utrum tecti reparationem ipse perficere vis, an fabrum tecti reparandi peritum arcessam?"



"I et mihi apporta, quaeso, sigarilla!"



Velim desinas fumare, quaeso!

GRATIA

(Gratia (Grace) Kelly actrix cinematographica, deinde principis Rainerii (Rainier de Monaco) felicissima uxor)

Qua mare Tyrrhenum lenissima litora mulcet
perspicuusque polus diffundit caerulea vela
oras in laetas Ligures, quas urbibus amplis
ornaverunt ut capti dulcedine caeli
gauderent melius specie telluris amoenae,
aequoribus nubit nitidis tenuissima ripa,
nec tamen illecebras renuit contenta iugorum
blanditiis levibus, quae radiant aequora clara.
Hic sinus angustus semper miracula pandit
vereque continuo diffundunt undique flores
mites ad flatus varii fragrantia dona,
nec viduant usquam clivos velamine pini
atque cupressi altae, quis commiscentur olivae.
Villula munda patet iuxta freta mitia tegmen
palmarum accipiens murtetorumque virecta:
Nymphae et Hamadriades hic nectunt usque choreas,
dum zephyrus spirat viridaria frugibus augens.
Pax tam rara alibi dominatur firma Monoeci;
hic populo illustris libertas corda relaxat
nec tulit ulla vicis minime discordia fata;
arcibus in Caroli castellum principis instans
maiorum mores ostendit claraque gesta
gentis, cui fulsit per saecula taeda quietis.
Divitiis terram hanc adeo Natura replevit
densis Herculea ut stirpes allaecta tepente
mirificoque situ primas antiquitus aedes
conderet hospitio dein acceptura benigno
Phoenissos nautas Romanorumque penates
imperiumque Arabum concors Genuaeque potentes.
Iam plures annos Grimaldica regna tenebat
stamina laeta trahens iuvenis Rainerius orae,
cum mulier praestans florum splendore colores
corporis et forma pulcherrima marmora ficta
prodiit ut sidus pervincens lumine noctem
vel rosa, quae in prato foliorum sola rubore


20

eminet aut pluuius caelo arcus fulgura pellens.
Gratia nomen erat numerosum virginis aulam
luce Monoecensem aucturae meritisque novellis;
et decor eximius celsa spirabat ab illa
40 cui nova vestitus species augebat honorem
augusti incessus animum reserantis apertum.
Sic inhiaverunt omnes cum flammea vultum
vix abscondebant niveo candore rigatum
atque Hymenaeus erae tenuit velum ipse beatae,
ne venerem quicquam dominae violaret olentem.
Terram natalem disiungebat mare vastum
nuptae litoribus vada, quae nostri aequoris urgent:
Tam differta altis domibus Philadelphia longa
bracchia distendens freta trans Atlantica surgit.
Viderat aetatis luces hic Gratia puras,
infanti at Parcae nectebant prospera fila,
si Venus attribuit iuvenilis temporis ultro
munera discipulae placitae tam larga favore,
ut non despiceret volucer descendere rursus
terras in placidas aspectum callida condens
membris Gratiae ebur vincentibus ostraque tota;
Aurora ipsa nitens malis sua roscida signa
praestitit atque palam fluviis Thetis uvida diva
caeruleis oculos lectae perfudit alumnae
60 et studiosa Ceres flaventiaserta capillo
donavit passo iubar, ut praecederet astri
concinnosque crocos, spicas electraque cara.
Tunc adulescenti contentae vita fluebat,
nec tamen illa venus celata diutius umbris
mansit. Namque polus stellis fulgentibus auctus
tempore, quo scaenam tenui pede Gratia pressit,
raras virtutes nudans dotesque figurae:
Urbanam abduxit procul aura secunda puellam
Pacificum ad litus, tenuit California pulchra.
Mox Acrifolia (1) hanc non laude carentia summa
ceperunt. Artes iuvenis patefecit honesta
et motus animi varios in fronte serena
declaravit agens sensus sortesque polite,
taeniolae in fluida dum fixa manebat imago.
Nec sero nomen fines actricis avitos
transgressum terras pervasit et omnibus alta

virginis effigies fuit exemplar bene fictum
Naturae manibus dominae, cui fama micabat.
Finxerat in somnis aliquando Gratia regem
80 forte adisse citum raedaque tulisse remissam
aedes ad nitidas Hymenaei lampade fotas
felicesque pares hic omine vivere fausto.
Ipse sed advenit princeps a litore longo
unde Monoecus alit delectamenta medullis
coniugii fidi commendans pignora firma.
Illecebras renuens hominum plaususque caducos
at iactans pacem constantem donaque regni,
os admoturus Rainerius oribus eius:
"Quamvis", inquit, "avi cedissent regna pusilla
iusto mi heredi, sollerter munere functus
assiduis merui curis iam praemia summa;
dilectas artes recitandi, cara, relinque
fallacem et famam breviorum fulgure noctu,
inceptura libens iter ad nova limina mecum:
Non solum gemmis dives promittere possum,
nec licet auratam nunc te sperare coronam.
Os ne deceptae corrumpant spes et honores
dulce fidemque meram, libeat tibi tradere dextram
mi comitis cupido stabilis validaeque per aevum."
100 Sicut Phoebeus subito nubes secat ignis,
haud aliter risus splendebat in ore venusto
sponsae, quae in vultu regis sua lumina figens
crines et fulvos religans haec dicta profundit:
"En humilis mulier quam tu, vir nobilis, aulae
participare gravis cupis officiique severi.
Sane praeclaro videor te indignior esse,
sat mihi deficiunt vires, quis munera solvam:
Si tamen aetatem valeo tibi reddere laetam,
gratum erit aeterno mea tecum iungere fata."
Principis haec animo potiuntur verba flagranti.
"Insolitas leges", ait ille, "tenebis avitas,
nec regale decus vitiabis more soluto."
Virginea tunica fulgens ut nuntia caeli
Gratia consorti sollempniter omina fixi
foederis exsolvit cunctis astantibus orbis
praesidibus nova, quos commovit forma maritae.
Iam tum delabens tempus nec gaudia rosit,

nec minuit sensus concordēs foeda simultas,
quisque dierum at eis felices protulit horas
120 in lychnuchorum splendore et marmore levi.
Gratia ero docili mulier dilecta favebat
atque columbarum nidus ditatus opima
prole diu specimen paribus fuit araque munda.
Natos illa fovens placide tenerissima mater
curas erga alios numquam neglexit apertas
sceptraque sana regens valde conixa salute
constanti, ut cives fruereantur saepe relictī:
Sicque fuit patiens summi regina laboris.
Iam terrae peragrans globus altum bis tredecim orbēs
circumiens solem perfecit tempora ducens
ex quo deseruit natale cubile benigna
suscipiendum ad onus regale marita fidelis
Gratia, cui in solis immotae serica vestis
pallaque pupureis ornatibus aucta decore
caesariesque manu in nodum collecta perita
aurea per collum roseique merus color oris
multiplicant speciem gravitati leniter aptam.
Augustae innumeros Hebe confirmat honores,
fulgida cum virtus distinguat facta pudicae
140 nativusque lepos aspectum tingere pergat.
Coniugis ecce tenens consertas Gratia palmas
blanda suis subolem et contemplans lumine dulci:
"Utinam amor firmus liget", inquit, "ubique focorum
gentes atque pares ut plurima savia carpens
mutuus affectus nobis praecordia tangit;
progenies vitae mea dum legit impigra flores,
mi neque deflenti felicitatis temporis acti
otia nec cursum, quem ducunt flamina casus
pergratum est regni sortes servare secundas
150 munificeque dies reliquos consumere lucis."

Florindo Di Monaco



Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Hier bitte frankieren

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) -----
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann
publicity
Stadthausstrasse 65
CH-8400 Winterthur

Ort, Datum: _____


Unterschrift: _____

AZB

4702 Oensingen

4/95

KALENDIS NOVEMBRIBUS
MCMXCV



RVMOR VARIUS



TOMVS 18

FASC. 110